

ut fatentur plures hujus sententiae fautores (Schmalzgr. in 4. Decr. t. 1. n. 140; Ball. P. n. 229), contraria quoque sententia probabilis est, ideoque confessarius nequit obligare injuste resilientem ad poenam exsolvendam.

Generalis haec prohibitio Juris se non extendit ad **arrhas** quae solebant adjici sponsalibus. Hoc nomine veniunt ea quae sponsi sibi invicem tradunt ea lege ut, si matrimonium non fuerit secutum, injuste resiliens amittat quod dederit, et quod acceperit reddere debeat; a consuetudine autem pendebat utrum, matrimonio secuto vel neutrius culpa impedito, arrhae reddendae essent ei qui eas tradidisset, an servari possent. Cum a moribus nostris arrhae recesserint, fusius de his non dicemus. Videsis Schmalzgr. l. c. n. 126 seqq. Cum arrhis non sunt confundenda **munera** quae praesertim a sponso tradi solent sponsae. Haec sequuntur regulas generales de donationibus. Quando sunt exigui valoris pro fortunis sponsi, censenda sunt absolute donata, ideoque numquam restitutionis oneri subjacent. Si vero majoris sunt momenti et videntur data tantum intuitu matrimonii futuri, reddenda erunt quando matrimonium non sequetur. Probabiliter tamen servari possunt, si ex culpa sponsi sponsalia solvuntur: quia praxis communis est ut ille hanc jacturam in poenam infidelitatis suas faciat. (Gury, II. n. 728)

§ 3. DE SPONSALIIUM DISSOLUTIONE.

446. Sponsalia absolute et valide contracta duplici ratione solvi possunt: vel ipso jure ex utraque parte, vel per voluntatem unius cui datur justa causa resiliendi, quamvis posset non resilire. (Aichner, op. cit. § 161)

I. Ipso jure et ex utraque parte dissolvuntur sponsalia:

1° Mutuo contrahentium consensu. Nam "omnis res per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur" (Decr. l. 5. t. 41. c. 1), vid. nisi constet aliunde inductum esse vinculum indissolubile, ut de matrimonio, non autem de sponsalibus constat. Ad liceitatem talis dissolutionis requiritur causa rationabilis, cujus defectus tamen non inducit nisi veniale peccatum. Idem dicendum etiamsi sponsalia juramento firmata fuerint, quia omni juramento in alterius utilitatem emisso inest tacita condicio: *nisi ab isto remittatur*. De sponsalibus quae forte inter impubes contrahantur, peculiaris exstat Juris dispositio (Decr. l. 4. t. 2. cc. 6 et 8); vid. quamvis valida sint, licet utrique parti, statim ac pubertatem adepta sit, ab iis resilire, etiamsi altera pars adhuc impubes manet.

2° Si sponsalibus supervenit impedimentum absolutum seu quod dispensatione tolli nequeat, qualis esset amentia vel impotentia perpetua, susceptio ordinis sacri, sollemnis professio religiosa. His probabilius adnumerandum est matrimonium cum alia contractum: quia sic homo ponitur in statu qui, ex natura sua, repugnat obligationi ducendi priorem sponsam, et ex se perpetuus est. Obligatio igitur sponsalium non tantum suspenditur, sed prorsus cessat, quia incidit in eum statum in quo incipere non potuisset. Multi tamen, cum S. Alph. (n. 875), censent per subsequens matrimonium suspendi tantum obligationem sponsalium, et, mortuo conjuge, iterum urgere, si pars injuste derelicta exspectaverit et jus suum obtinere voluerit. Nituntur praecipue hac ratione: annulationem sponsalium nullo jure probari: non positivo, cum nullus textus afferatur; non naturali, quia obligatio sponsalium prius initorum consistere potest cum matrimonio, saltem quatenus illa respicit tempus istius per obitum dissoluti.

3° Probabiliter per votum servandae perpetuae castitatis vel suscipiendi ordines sacros. Ratio praecipua est: promissionem sponsalium semper fieri sub tacita condicione: *nisi melior status eligatur*. (S. Alph. n. 873) Alii tamen probabiliter contendunt his votis tantum dari alteri parti jus resiliendi a sponsalibus, si ipsa voluerit: quia Deus non acceptat promissionem rei alteri promissae et ab eo acceptatae. Probabiliter quoque solvuntur sponsalia per ingressum alterutrius partis in religionem vel per votum eandem ingrediendi. Eadem enim hic militat ratio ac pro duobus votis supra dictis. Qui enim religionem ingreditur vel ingredi vovet, ex sincera voluntate se dicandi Deo, eligit statum meliorem eumque amplectitur quatenus id ei licet in praesenti disciplina, in qua nemini datur facultas emittendi vota religiosa, non praemisso noviciatu. (Sanch. de Matr. l. 1. disp. 42; Ball. P. n. 344) Eadem quoque ratio urget pro eo qui, post sponsalia inita, ordines minores suscipit, dummodo sincerum animum ordines sacros suscipiendi foveat. Quare, etiam in hoc casu, opinamur non tantum dari alteri parti jus resiliendi a sponsalibus, ut censet Ball. P. (n. 339), sed et solvi sponsalia ex utraque parte. Cfr. De Becker, p. 19. Neque ullam rationem videmus ob quam aliter dicendum esset de eo qui, cum eodem animo, seminarium theologicum ingrederetur: cum haec quoque sit via hodie communis ad ordines suscipiendos.

4° Per dispensationem a R. P., non autem a quolibet inferiore, justa de causa concessam. Commune enim bonum postulat quidem ut summus princeps dispensare possit in jure quod tertio quaesitum est, minime vero ut eadem facultas sit penes principes subordinatos.

447. II. Praebetur alteri parti jus resiliendi a sponsalibus :

1° Si unus contrahentium culpa sua induxit impedimentum dirimens a quo dispensatio obtineri possit, ex. gr. copulam habendo cum sorore sponsae. Hanc igitur dispensationem procurare debet si altera pars resilire noluerit.

2° Atroci crimine quo una pars notabilem infamiam in se traxerit. Huc spectat haeresis : quae etiam inducit impedimentum mere impediens. (n. 517)

3° Si una pars fidem sponsalitiæ violat per fornicationem, vel tactus impudicos cum alia persona admittit. Plerique tamen jus resiliendi denegant sponsae cujus sponsus tales turpes tactus admiserit, cum haec infidelitas, e communi aestimatione, non cedat in dedecus sponsae, dum in magnum sponsi dedecus cedit talia a sponsa admitti. Sed idem jus ducimus oriri sponsae, si sponsus tam crebro turpia cum alia persona admittit, ut inde merito censendus sit affectum erga istam fovere, vel ita impudicum esse ut fidem aegre servaturus sit. (Ball. P. n. 304) Huc quoque faciunt casus sequentes : si una pars sponsalia cum tertia persona ineat ; si, nulla justa causa obstante, nolit matrimonium inire quando terminus assignatus advenerit, vel, ubi nullus est assignatus, nimis procrastinet ; si sponsus, inscia vel invita sponsa, alio se transtulit, animo mutandi domicilium, vel, etiam sine tali animo, in regionem longinquam profectus est e qua nequeat sperari brevi rediturus. Si dubitatur num sponsus abiens habuerit animum mutandi domicilii vel brevi sit rediturus, per litteras, si fieri potest, interrogandus erit ; quod si fieri non potest, erit exspectandum ad arbitrium prudentis, vel dubium iudici ecclesiastico submittendum. (Ball. P. n. 324 seqq.)

4° Si notabilis mutatio accidat vel detegatur quae, si a principio cognita fuisset, a sponsalibus deterruisset. (Bus. ap. S. Alph. n. 863) Ratio est : magnam libertatem requiri ad ineundum matrimonium, ac proinde merito supponi partes quae sponsalia ineunt tacite apponere condicionem : *si res in eodem statu permanent*. Nec refert utrum causa mutationis sponsalia subsequatur, an, inscio altero contrahente, praecesserit. Nam in Jure paria sunt : non esse et non apparere. (Ball. P. n. 306) Hinc prudenter dari videtur sequens regula practica : cessare obligationem sponsalium " quando, omnibus perpensis circumstantiis, supponendum merito sit matrimonium a sponsis contrahendum infaustum fore. " (Aichner. l. c.)

Notabilis mutatio multipliciter contingere potest :

a) In bonis animi, ut si post sponsalia detegeret sponsa sponsum suum addictum esse scortationibus, ebrietati, ludo, etc. ; si sponsus disceret sponsam antea fornicatam esse, vel per vim stupratam esse. Communiter censent AA. (S. Alph. n. 861) non posse resilire sponsam

ob fornicationem a sponso ante sponsalia patratam ; quia per hoc sponsus non fit notabiliter vilior. Attamen id ei licitum videtur, si tam crebra fuerit haec sponsi fornicatio ut merito dubitandum sit num fidem in matrimonio servaturus sit, vel si e praecedenti copula proles suscepta fuerit. Immo probabiliter universe licet virgini honestae resilire ob cognitam sponsi fornicationem, quia non videtur in sponsalia consensura fuisse, si illam antea novisset. (Ball. P. n. 299)

b) In bonis corporis, ut si alterutra pars incidat in gravem morbum vel notabilem patiatur mutilationem vel deformitatem : quae tamen multo facilius censenda erit notabilis in sponsa quam in sponso. Plures (Schmalzgr. in 4. Decr. l. 1. n. 189) censent sufficere graveolentiam oris, quae arte medica superari nequeat.

c) In bonis fortunae, ut si sponsus reddatur incapax opificii exercendi, magnam bonorum partem amiserit, deprehendatur magnis debitis obnoxius esse, etc. Dubium autem est num causam sufficientem resiliendi habeat ipsa pars quae condicionem multo praestantioris in bonis fortunae nacta sit, ex. gr. per pinguem hereditatem adeptam. Negant plerique (Bus. ap. S. Alph. n. 876) : quia nulla mutatio facta est in altera parte, ac proinde pars quae ditior facta est nullam deceptionem passa est. Sed cum pluribus, praesertim recentioribus (Ball. P. n. 359 seqq. ; Aichner, l. c. n. 11), probabilem censemus sententiam oppositam : quia reapse notabilis mutatio facta est inter sponsum et sponsam, et quidem tanta ut, si ab initio adfuisset, sponsalia non essent contracta. Neque necessarium est mutationem intervenire ex parte alterius, ut patet exemplo sponsae quae, ob amissam propriam valetudinem, quandoque merito resiliet. Similiter non videtur damnandus qui a sponsalibus resiliet eo quod ipsi offerretur sponsa *excedenter* melior : qui casus valde similis est praecedenti. (Ball. P. n. 377)

Licet consensus parentum non sit necessarius ad valorem sponsalium, saepe tamen eorum dissensus justam causam resiliendi dare potest. Cfr. n. 516, VI.

III. Sponsalia propria auctoritate dirimere per se conjugibus licet, modo causa solutionis sit certa, immo etiam si solide probabilis est, quia probabile iudicium pro certo aut quasi certo moraliter et prudenter habetur. Nullum enim datur praeceptum positivum quo jubeatur ad iudicem ecclesiasticum recurrere antequam a sponsalibus recedatur, neque e jure naturali id eruitur, siquidem ab iis recedens, utitur jure suo cum se sub hac condicione obligavit : nisi justa causa resiliendi accedat. (Salmant. tr. 9. c. 2. n. 100 seqq.) Duplicem tamen ob rationem, ad iudicem ecclesiasticum, nempe ad Ordinarium, recurrendum erit. Prior est, ut avertatur scandalum, quod interdum oriri possit, si sponsalia

publica fuerint, causa autem occulta maneat : quamvis liceret resilire si causa iudici probari nequiret, utputa si cui de fornicatione sponsae constaret, sed testes deessent. Posterior ratio est dubium negativum seu non solide probabile quod de causa resiliendi habeatur : quia ob causam dubiam, alter non est privandus jure quod possidet. Sufficit autem in foro conscientiae, ad habendam moralem certitudinem vel solidam probabilitatem de causa resiliendi, unus testis fide dignus qui testetur ex gr. de fornicatione sponsae. Quandoque tamen statutis provincialibus vel dioecesanis prohibetur ne sponsalia publica et praesertim sollemnia, sine iudicis interventu solvantur, quo perfectius levitatis et scandali periculum removeatur : quae lex particularis, utpote rationabilis, servanda est. (Rosset, de Sac. Matr. t. II. n. 1077)

CAPUT II.

DE PROCLAMATIONIBUS ET DE EXAMINE SPONSORUM.

§ I. DE OBLIGATIONE PROCLAMATIONUM.

448. I. Legem de proclamationibus seu bannis matrimonio praemittendis ita effert Trid. (Sess. 24 de ref. Matr. c. 1) : " S. Lateranensis Concilii, sub Innocentio III celebrati, vestigiis inhaerendo, (S. Synodus) praecipit ut in posterum antequam matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium parochio tribus continuis diebus festis in ecclesia, inter Missarum sollemnia, publice denuntietur inter quos matrimonium sit contrahendum. "

Haec lex certe sub gravi obligat, ita ut mortaliter peccet parochus qui, absque legitima dispensatione, nullam proclamationem matrimonio praemittat : quod patet tum e gravitate finis ob quem lata est lex, vid. ut detegatur impedimentum quo matrimonium forte irritum fieret, tum e gravibus poenis quibus Trid. (l. c. c. 5) plectit eos qui, omissis proclamationibus, contrahant. Attamen plerique AA. (S. Alph. n. 990) leve reputant omittere unam e tribus requisitis ; immo idem dicendum opinamur cum Salmant. (de Matr. c. 8. p. 6. n. 78), D'Annib. (III. n. 453), etc., si duae omittantur, dummodo per aliquot dies exspectetur antequam matrimonium contrahatur, vel aliter probabile periculum latentis impedimenti removeatur.

Nullatenus autem licet parochio omittere denuntiationes, eo quod moraliter certus sit nullum adesse impedimentum. Etenim violaret

legem qua Trid. non tantum jussit ut certus fieret de absentia impedi- menti, sed determinavit modum quo haec certitudo obtinenda sit. Insuper manifestum est gravissima incommoda oritura esse ex eo quod singulis parochis relinqueretur facultas iudicandi num in casu nullum impedimentum timendum sit. (S. Alph. n. 900)

II. Lex proclamationum omnes nupturientes afficit. Omitti tamen possunt, quando periculum est in mora et episcopus adiri nequit ut dispensatio petatur : tunc enim per epikeiam censeri potest lex cessare. Exempla sunt : si moribundus ducere debet concubinam, sive ad prolem legitimandam, sive ad peccandi occasionem vitandam ; si scandalum aut infamia oriretur e dilato matrimonio ; si duo jam maritaliter vivunt, vel etiam civiliter juncti sunt, qui nunc matrimonium in facie Ecclesiae contrahere velint, sed uterque vel saltem una pars redire nolit, post petitam dispensationem. (S. Alph. n. 1007 ; Rosset, l. c. n. 1176) Oportet tamen in his casibus quatenus per adjuncta licet, examinare num aliquid impedimentum contrahendo matrimonio obstat.

449. III. Proclamationes faciendae sunt tribus diebus festis continuis, nempe ita ut nullus dies festus absque proclamatione praetermittatur. De hac legis parte adverte praesertim sequentia :

1^o Diebus festis proprie intelleguntur Dominicae vel festa, quae de praecepto universalis Ecclesiae vel propriae dioecesis celebrantur. Probabile est iis accensenda esse festa suppressa, dummodo, e voluntate R. P. functiones sacrae in iis peragi pergant, sicut ante suppressionem, et frequens populus ad ecclesiam confluere soleat. Sic in Belgio denuntiantur matrimonia in festis a Pio VII suppressis, minime vero in suppressis a Clemente XIV, cum in his jam non verificetur duplex condicio requisita. (Feye, de Imp. et Disp. Matr. n. 244) Merito autem opinantur recentiores Canonistae (Feye, l. c. n. 246; Aichner, op. cit. § 164) non satisfieri legi per denuntiationes quae fiant diebus feriatis, in quibus sit magnus populi concursus : quia non sufficit finem legis attingere, sed media ad ea praescripta adhibenda sunt. Talis tamen mutatio non foret gravis. (S. Alph. n. 992) Immo in locis Missionum videntur Ordinarii concedere posse ut unica fiat denuntiatio die feriato, si aliter fieri non possit : siquidem, urgente necessitate, penitus a proclamationibus dispensare possunt. Hanc facultatem, diserte concessit Pius IX cunctis Vic. Ap. Indiarum, 8 Sept. 1869. (Coll. P. F. n. 1222)

2^o Servari potest consuetudo, in quibusdam locis vicens, ut proclamationes fiant solis diebus Dominicis, omissis festis per hebdomadam occurrentibus. (Lehm. II. n. 673)

3^o Litterae legis et consequenter strictae obligationi satisfit, ubi banua